Deo opt. max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QVÆSTIO MEDICA.

Quodlibetariis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 18. Februarii.

M. GUIDONE ERASMO EMMEREZ, Doctore Medico, Præſide.

An Sanguis in corde generatur?

COR numinis inſtar coluiſſe propè priſca Patrum noſtrorum videtur ætas & eadem in corpore munia obire putavit: ac ſol in hoc orbe aſpectabili. Cor primum naſci voluit, calidi innati fontem perennem, præſtantiſſimarum quarumque facultatum rectorem ſuperbum agnovit. Cor quidam æquaverunt cum Rege & ſicut Regis in proprium gregem: ità cordis in omne corpus imperium eſſe voluerunt. Utilitatem ſanè cordis, neceſſitatem, dignitatem maxima eſſe fatemur. Sed abſit reliquas corporis partes, cordis vilia credamus mancipia. Cum cæteris partibus vitæ primordia ducit, nec citiùs illis vitæ beneficio gaudet. Cor ſi ex animalis pectore extrahas, nec extrinſecùs, nec intrinſecùs deprehendes calidius reliquis viſceribus. Natum & factum viſcus à naturâ putem, ut acceptum ſanguinem atterat & hinc indè ſpargat ad partium nutritionem. Hunc in uſum donatum fuit ſinubus quibus vitalem contineat liquorem fibriſque conſtat quibus expanſis panditur oſtium ipſius patetque aditus liber ſanguini. Cave credas ab hoc appellentis liquoris motu ſolo, motum cordis omnem fieri. Motus cordis certus & conſtans ab humorum impetu perfici totus nequit. Sed iis fidem non niſi Græcam adhibe qui chylum in corde naturam mutare ſuam pugnaciſſimè defendunt. Ut chylus in ſanguinem convertatur in ipſo quaſi lebete cordis: dum è ventriculo manat albus, purus, ſincerus ferri ad cor continuâ fluxione debet ſimulque in corde reperiri debent ea, quorum gratâ confuſione cum chylo, chyli fiat in ſanguinem optata metamorphoſis.

ORDINATE fiunt quæcumque fiunt vitæ munia. Nam quæ corpora condidit, hæc eadem regit ac conſervat natura quaſque ſemel figit leges iis paret, eas obſervat conſtantiſſimè. Sapiens hæc totius hominis cuſtos ſtatuit, quod ubicumque humorum coctio, ſecretio & excretio aliqua fieret; ibi eſſent vaſa qua humorem perficiendum vehant: eſſent & in quibus ſiſtatur humor mutandus & quæ mutatum aliò deportent. Purpureus micat ſanguis in vaſis materiam ſeminis deferentibus. In teſtibus colorem nativum amittit. Fervente libidine ſemen novum per vaſa ejaculantia foràs proſilit. Confuſum cruori ſerum currit ad renes; ibi diremptus ac diſceſſus ejus fit à ſanguine quôcum junctione aliquâ tenebatur. Nec mora per fiſtulas patentes defertur in veſicam. ἐφίδρωσις naturæ gementis motus & opus eſt: at tamen ſi perſpicaciores anatomicos audias, hi te docebunt, aquam hanc è vaſis lymphaticis extillare, colligi in glandulis & ab iis per vaſcula ad cutem tacitè mitti. Quem tenet in cæteris operibus ordinem, eundem in ſanguinis generatione tenere debet natura. Sit itaque locus aliquis oportet, ad quem fluat recens chylus, in quo elaboratus alter ſtatim videatur, ex quo deindè in univerſum corpus effundatur.

NOVITATEM deperit hæc ætas & hoc igne novitatis ardens ac propè furens, placita fermè omnia veterum Philoſophorum evertit. Quæ apud priſcos patres cauſæ rerum prædicabantur; apud pleroſque rerum effectus jam audiunt. Quod mirère non idem ampliùs ſanguis humanum corpus, ac qui aliàs, irrigat. Sanguis olim mediocri, tenui, craſsâ, & aqueâ parte conſtabat, quæ ſanguinis, bilis, melancholiæ, pituitæ nomina referebat. Moles ſanguinis tota, quanta eſt, ſalium fuſorum nunc habetur acervus apud homines naris emunctæ & à plebe medicâ ſecretos. Verba quidem nova, neſcio an veteribus obſcuriora? In hâc diſſentientium opinionum varietate mens omnibus una, quod ſanguis ex chylo. Chylus ex alimentis fit quæ ab ore in ſtomachum delabuntur, ſolo calore nativo adjuvante, vix dicam. Certò aſſeverem præcipuè promovente. Et enim à quocumque ſucco dividatur cibus in ventriculo ſinè caloris ope ſuccus is omnis iners erit. Sicut fermentum in farreo ſinè amicâ vi ignis langueſcit ſpiculis quaſi ſuis deſtitutum. Perfectus in ventriculo chylus, ibi diutiùs non reſtitat. Senſim ſinè ſenſu inferius oſtium ventriculi ſubit, in amplos inteſtinorum ſinus demittitur. Atque jam jam aliquò deportandus venit; ubi quas recondit ſanguis dotes, acquirat. Vide num niveus humor viam affectet ad ſuperas partes & pleno velut alveo feratur in capacem ſinum cordis: undè mox refluat mutato colore & nomine.

DUPLEX vaſorum genus in alvo tantum obſervavit ætas vetus venas arteriaſque à quibus ſic tanquam ab hirudine chylus ab inteſtinis exſugeretur. Felicius ævum iſtud aliud vaſorum genus in lucem protulit, venas lacteas vocat. Per arterias chylum ad cor migrare ſcripſit Ariſtoteles, ſcripſit & per venas; quod hujus utriuſque vaſis ἀναςόμωσις à Philoſopho neſciretur. Sed quas depinxit ille vias chylo deducendo, nec oculis nec digito quis notet. Sunt qui cum Hippocrate chylum ex ventriculo ad lienem exportari velint. Hippocrati aſſentitur Eraſiſtratus. Oblivione ſepultam hanc ſententiam renovaſſe viſus eſt his ſæculis poſterioribus Piſo. Multi cum Galeno chylum ex venis mezaraicis deducunt in hepar. Sunt qui ex lacteis venis in pancreas refundi autumant. Et ex iis alii à pancreate devehi ad jecur vel ipſammet venam cavam. Alii per vas thorachicum ſurſùm ad ſubclaviam tranſmitti, à quâ in venam cavam cordisque dextrum thalamum depluat. Vas illud percelebre difficulter ut plurimùm detegitur & in animalibus, quibus ampliſſima vaſa, ſæpè non occurrit: Hinc adducor ut credam, per vas illud non poſſe chyli molem ingentem in ſuperas partes tolli. Quanquam autem chylus per anguſtam & latentem hanc ſemitam ſupera ſcanderet; priùs confunderetur cum ſanguine, quàm receptaculum cordis ab ipſo madefieret. Atque quum hæc cum ſanguine confuſio ſeu mutua conjunctio διμάτωσις fit; patrios ſanguinis lares ambitu venarum definirem non cordis; quod aliundè nec purpuram impertiri chylo, nec virtutes ſanguinis plurimas eidem tribuere poteſt. Jam verò ſivè in liene, ſivè in jecore, ut pluribus placet, ſanguis naſci eſtimetur; horum opinionem αὐτοψία falſi redarguit; hâc quippè conſtat, chylum portas jecoris aut cujuſlibet viſceris non occupare, niſi antè purpuraſcat.

SANGUINEM in parenchymate viſcerum cudi & ab ipſis viſceribus artificibus primò elaborari, vero minimè conſonum eſt. Sanguine quidem ſaginantur partes, ſanguinis ſucco & calore augeſcunt: ille verò ſolâ acceſſione chyli reparatur, amplificatur. Sanguinem in ovo vel in embryone invenies, priuſquam cor, hepar, lien, conformata ſint. Certum equidem eſt, quod motus cordis conferat ad ſanguinis perfectionem. Quod ſanguis ab amplo, quod ipſe fecit, parenchymate jecoris foveatur, incaleſcat. Filius eſt qui patri blanditur. Repurgetur & in hepate ſanguis à partibus præfervidis, amarulentis. Alias alibi ſordes deponat, craſſas putà & fœculentas in liene, aqueas in renibus. Quocumque rapitur vitæ lumen emiſſurus: ibi divitias novas comparet, ibi dotibus nobilitetur clarioribus. Ad ipſius cutis ultimas oras non appellat, quin ab ambiente aëre refrigeretur aut etiam adhuc eô loci purgetur magis ac magis. Hinc laudabilius alimentum cuique parti ſuppeditaturus eſt. Sed ex eo quod ſordes hìc eluat ſanguis; per hanc partem ſic tanquam per aliquod cribrum trajiciatur: Hoc indè ſolum êvinces, coquinariam quandam artem à partibus exerceri, præparari alimenta quibus ipſæ poſthâc recreentur, refocillentur.

Non ergò Sanguis in corde generatur.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Claudius Quanteal.
M. Ioannes Robert.
M. Ludovicus Gayant, Medicus Regis ordinarius.
M. Franciſcus Vezon.
M. Claudius Puylon.
M. Claudius Berger.
M. Claudius le Vaſſeur.
M. Nicolaus Richard.
M. Claudius Guerin.

Proponebat Pariſiis CLAUDIUS QUIQUEBEUF, Pariſinus, Baccalaureus Medicus. A. R S. H. 1683.